Schneider.

=

De verbis novatis in M. Tullii Ciceronis epistulis

(pars I)

Jahresbericht

des

k. k. Kaiser Franz Joseph-

Staatsgymnasiums

in

Mährisch-Ostrau

über das

Schuljahr 1913—1914.

INHALT:

MÄHRISCH-OSTRAU
Verlag des Kaiser Franz Joseph-Staatsgymnasiums.
Buch- und Steindruckerei JULIUS KITTL in Mährisch-Ostrau.

Verzeichnis

der bisher erschienenen Programmaufsätze:

1896/97: „Zur Vorgeschichte des Gymnasiums“ . . . . von Dr. J. Kraßnig.

1897/98: „Zur Erklärung der in Aristoteles' *Ἀθηναίων πολιτεία* enthaltenen Fragmente Solons“ . . . . von Dr. J. Kraßnig.

1898/99: „Luxemburg, Wittelsbach und Habsburg in der Zeit von 1308—1358“ (I. Teil) . . . . von Hugo Schubert.

1899/1900: „Luxemburg, Wittelsbach und Habsburg in der Zeit von 1308—1358 (II. Teil) . . . . von Hugo Schubert.

1900/01: „Ferdinand Raimunds Mädchen aus der Feenwelt“ . . . . von Dr. Rudolf Prisching.

1901/02: „Ferdinand Raimunds Anfänge“ . . . . . . von Dr. Rudolf Prisching.

1902/03: Beitrag zur definitiven Bahnbestimmung des Kometen 1826 IV . . . . von Dr. Rudolf Klug.

1903/04: „Herbart und Lotze“. Eine vergleichende Darstellung ihres metaphysischen Denkens . . . von Dr. Franz Prosenc.

1904/05: De C. Solii Appollinaris Sidonii imitationibus studiisque Horatianis (pars prior) . . . von Dr. Mauritius Schuster.

1905/06: 1. De C. Solii Apollinaris Sidonii imitationibus studiisque Horatianis (pars altera) . . . von Dr. Mauritius Schuster.

2. Die Aufeinanderfolge der Dramen in Äschylus' Prometheustrilogie . . . . von Artur Hahn.

1906/07: Zur Geschichte des Wortes „Geschmack“ und seiner Verwendung im ästhetischen Sinne . . . . . von Jos. K. Dostal.

1907/08: Die Kopula bei Homer und Hesiod (I. Teil) . . . von Josef Kinzel.

1908/09: Die Kopula bei Homer und Hesiod (II. Teil) . . . von Josef Kinzel.

1909/10: Vom Ausbau des zweiten Tempels bis zum Mauerbau Nehemias (515—c. 441 v. C.) . . . . . von Dr. Gustav Klameth.

1910/11: Raimunds „Verschwender“. Eine Studie . . von Dr. Rudolf Prisching.

1911/12: Die Reichsreformversuche unter Kaiser Sigmund (1411—1437) . . . . von Gustav Müller.

1912/13: Braun von Braunthals „Faust“ . . . . von Emil Weiß.

De verbis novatis in M. Tullii Ciceronis epistulis

(Pars I.)

scripsit

Dr. Ernestus Schneider.

Praefatio.

Ciceroniani sermonis in epistulis quae sit propria ars et ratio in verbis eligendis fusius pleniusque aliquantum exquirere et tractare mihi propositum est. Nam certamen, quod proximis annis inter doctos erat, ut quaestionibus, quae ad singulos scriptores Romanorum referrentur, fundamenta iacerent, in quibus esset posita quasi exaedificatio ipsa et grammaticae et lexicographiae Latinae, etiam studia sermonis, quo Cicero in epistulis usus est, magnopere auxit multumque contulit ad id dicendi genus inquirendum. Qua de re omnium optime meruit Woelfflin, qui cum ipse in studia Ciceroniana cura diligentiaque incumberet, imprimis illa commentatione „Bemerkungen zum Vulgärlatein" in Phil. XXXIV (1876), 137 sqq., qua cum sermonem vulgarem tum Ciceronis in epistulis genus dicendi luculentissime illustrabat, aliis exemplum praebuit. Ex eo tempare, quo ille interiores et reconditas sermonis leges scrutari. coepit, permulti homines docti Ciecronis scriptis student. Sed ne acta agam — longum enim est omnes enumerare, qui in has quaestiones impendebant operam — satis sit legentium studia ad commentationem diiucidam reicere a Carolo Schirmero conscriptam in Phil. XLV (1886), p. 133—185, qua, quae inde ab anno 1829 usque ad annum 1885 ad epistularum cognitionem augendam a doctis collata sunt, explanavit ,et ad illas commentationes, quas Schmalz in Bursiani Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft vol. XII (1884), part. II. p. 34—73, Gurlitt ibid. vol. XXIII (1895), part. II. p. 8—111, vol. XXVI (1898), part. II. p. 1—60, vol. XXVIII (1900), part. II. p. 145—202, vol. XXIX (1901), part. II. p. 1—16, Sternkopf ibid. vol .XXXVI (1908), part. II. p. 1—80 composuerunt. Sed usque ad hoc tempus verborum Ciceronianorum in epistulis copiam congerendam et disponendam nemo, quod ego quidem scio, quaestiunculis exceptis, quibus solvendis iam permulti philologi insigni doctrina, circumspecto iudicio, summa sagacitate praediti operam dederunt et quae saepius tangendae erunt, suscepit.

Sed priusquam ad meum propositum transgredior, non inutile esse videtur ,pauca verba de Ciceronis in epistulis adhibito genere dicendi facere, quamquam multi viri docti [1]) hanc rem tractaverunt. Ut non eadem semper est dictio unius einsdemque scriptoris, sed alia aliis temporibus et in aliis scriptis,[2]) ita Cicero in epistulis vario genere dicendi

[1]) Rein, Ueber Ciceros Briefstil, Progr. Chemnitz, 1895; Rebling, Versuch einer Charakteristik der römischen Umgangssprache, Progr. Kiel 1883; Krause, Stilistische Bemerkungen aus Cic. Briefen, Progr. Hohenstein 1869; Stinner, De eo quo Cicero in epistulis usus est sermone, III. Oppeln 1879; Landgraf, Bemerkungen zum sermo cotidianus in den Briefen Ciceros und an Cicero, Blätter f. d. bayr. Gymnasialschulw. XVI (180), p. 274—280 et 317—331; Paul Meyer, De Ciceronis in epistulis ad Atticum sermone, Progr. Bayreuth 1887, p. 4 sqq.

[2]) Accuratius de ea quam Cicero ad philosophiam illustrandam adhibuit oratione disseruit R. Kuehner in eo libro, qui inscribitur „M. Tullii Ciceronis in philosophiam eiusque partes merita", part. II. c. 4. Differentias, quae in primis Ciceronis orationibus inveniuntur, docuerunt Thielmann, De sermonis proprietatibus, quae leguntur apud Cornificium et in primis Cic. libris, diss. Argent. 1879; Hellmuth, De sermonis proprietatibus, quae in prioribus Cic. orationibus inveniuntur, acta sem. philol. Erlang. I. p. 101—178; Landgraf, De Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro S. Roscio Amerino conspicua, Würzburg 1878.

usus est. Jam affero verba, quae apud Ciceronem ipsum epist. IX. 21, 1 legimus: „verum tamen quid tibi ego videor in epistulis? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo. quid enim simile habet epistula aut iudicio aut contioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. privatas causas et eas tenues agimus subtilius; capitis aut famae scilicet ornatius; epistulas vero cotidianis verbis texere solemus". Quo loco Cicero ipse declarat se elocutionem semper rei accommodare[1]) atque quod gravissimum est, in epistulis sermone cotidiano uti[2]). Jam vero reperiuntur in epistulis[3]) verba cotidiana maxime tum, cum quae velimus quaeque sentiamus expromere atque detegere volumus iis, quos de nulla re celamus, ut omni arte remota eum usurpemus sermonem, qui nihil spectet aliud nisi, ut quibus agitemr in intimo pectore, ea explicentur. Sed sine dubio praeterea maximi momenti est, qui sint ii, ad quos epistulae datae sint. Quam ob rem mirandum non est Ciceronem in epistulis, quas misit ad Atticum, cui intimas suas cogitationes et quasi penetralia animi recludebat, sine arte et ratione ea garrire, quae in buccam[4]) venerunt, ut dictio ab elegantia et expolitione ceterorum scriptorum longe distet. Atque res ita fere se habet cum epistulis, quae scriptae sunt ad Quintum fratrem et nonnullos amicos, ut Trebatium, Caelium, Paetum. Sed praeterea multas epistulas, quae maximum numerum explent epistularum, quae dicuntur ad familiares, quibus adnumerandae sunt epistulae ad Brutum datae, habemus, quas Cicero ad homines scripsit, qui cum eo non erant coniuncti familiaritate, quorum tamen magna erat auctoritas in re publica administranda. Quarum epistularum genus scribendi videlicet non multum abhorret a genere scribendi reliquorum librorum, quoniam Cicero, qui omnibus viribus rem publicam capessiverat, plerumque de iis rebus, quae ad rem publicam pertinebant, scripsit.[5]) Sed cum non solum epistulas Ciceronis ipsius, sed etiam ad Ciceronem missas pertractare atque perscrutari in animo habeam, hoc loco admoneo eos quoque, qui ad Ciceronem epistulas dederint, saepissime ad familiarem loquendi consuetudinem quam proxime accessisse atque etiam inde multa deprompsisse, quae ne in epistulis quidem ad Atticum missis inveniantur.[6])

---

[1]) Quod comprobatur etiam locis ex litteris scriptorum Latinorum, ut Quint. inst. XI. 1, 2 sq. „quid prodest esse verba et Latina et significantia et nitida, figuris etiam numerisque elaborata, nisi cum iis, in quae iudicem duci formarique volumus, consentiant: si genus sublime dicendi parvis causis, pressum limatumque grandibus, laetum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, submissum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus?;" Cic. orat. 71 et 123. Quamquam his locis praecepta dantur oratori, tamen reliquis etiam generibus orationis solutae valent. Dissertationem G. Dammannii, Cicero quo modo in epistulis sermonem hominibus, quos appellat et rebus, quas tangit, accommodaverit, Greifswald 1910, mihi parare non potui.

[2]) Quam prope absit genus dicendi epistularum a sermone cotidiano, conferas velim, quae Quint. inst. IX. 4, 19 dicit: „est igitur ante omnia oratio alia vincta atque contexta, soluta alia, qualis in sermone et epistulis, nisi cum aliquid supra naturam suam tractant, ut de philosophia, de re publica similibusque."

[3]) Ciceronem etiam in aliis scriptis ex fontibus sermonis popularis hausisse docet Carolus Pascal, De quibusdam Ciceronis dicendi rationibus ab usu cotidiani sermonis depromptis. Ad Joh. Bapt. Gandinum epistula. Studia philologica, Romae 1893, p. 29—47.

[4]) Cf. Att. I. 12, 4; VI. 1, 2; VII. 10; XIV. 7, 4.

[5]) Qua de causa Cicero ipse duo genera epistularum distinguit epist. II. 4, 1 „sunt epistularum genera duo, quae me magnopere delectant, unum familiare et iocosum, alterum severum et grave"; cf. etiam Meyer, Beiträge zu Ciceros Briefen an Atticus, Progr. Hof 1890, p. 10 sq.

[6]) Plura vide apud Opitzium, Quo sermone ei, qui ad Ciceronem litteras dederunt, usi sint, Progr. Naumburg 1879 et J. H. Schmalzium, Ueber den Sprachgebrauch der nichtciceronischen Briefe in den ciceronischen Briefsammlungen. Zeitschrift f. d. Gymn.-Wesen XXXV

Atque quoniam universe genus dicendi epistularum adumbravi, mihi liceat exempla nonnulla afferre, quibus ea, quae commodum dixi, comprobantur.[1]) Ac primum quidem verba profero, quae P. Meyer l. c. p. 5 facit: „epistulae comparandae sunt cum operibus aliorum, qui quod ad vulgus descenderunt, vulgarem sermonem usurpaverunt, imprimis Plauti et Terenti fabulis, quae apud Romanos non minus pervulgatae erant quam apud nos Schilleri et Goethii principum poetarum fabulae." [2]) Nunc vero verbis, quae Meyer enumerat: nassa, tricae, tricari, suspiritus ,incommoditas, aegrimonia, nonnulla substantiva in — io cadentia, quae vocabula etiam apud priscos scriptores, imprimis apud comicos inveniri demonstrat, addantur haec:

s t epist. XVI. 24, 2; saepe apud Plautum, ut Epid. 181; Pseud. 600; Cas. 148 et Terentium, ut Phorm. 743.

h u i Att. V. 11, 1; VI. 6, 3; XIII. 21, 5; XIII. 35; XIII. 36, 2; XV. 13, 7; Cael. epist. VIII. 15, 2; Plaut. Rud. 153; Pers. 806; Ter. Andr. 474; Haut. 92.

h e u s Att. XV. 14, 4; I. 16, 13; XIII. 42, 2; epist. VII. 25, 1; Plaut. Merc. 910; Ter. Haut. 348; Andr. 84.

s o d e s Att. VII. 3, 11; Plaut. Trin. 244, 562; Ter. Andr. 85; Haut. 459, 580; Hec. 841; Hor. epist. I. 7, 15; ars 438.

n u l l u s laxiore usu plebis sumitur pro ‘non‘. Sed si putaremus ‘nullus‘ idem esse ac ‘non‘, erraremus; nam omnibus notum est sermonem vulgarem libenter rem verbis augere et superlationes[3]) in ore plebis vigere; quam ob rem non aliter res se habet cum vocabulo ‘nullus‘, de quo Donatus, quippe qui ‘nullus‘ voci ‘non‘ par faciat ad Ter. Eun. 216 „nullus moneas", non recte iudicat. Sed iam ex scriptoribus Latinis locos affero hos: Att .XV. 22 „ego autem scripsi Sextum adventare, non quo iam adesset, sed quia certe id ageret, ab armisque nullus discederet;" XV. 29, 1; XI. 24, 4; XIV. 3, 1; Plaut. Asin. 408 „is nullus venit"; Trin. 606; Ter. Eun. 216; Catull. 8, 14 „at tu dolebis, cum rogaberis nulla". De hoc usu accurate egit Haupt, Opusc. I. 75 sqq; cf. etiam Lorenz, Most. 385; Reisig l. c. adn. 395; Naegelsbach-Mueller, Lat. Stilistik 1905 [9] § 82, 2; Krebs, Antibarbarus s. v.

s u s q u e d e q u e Att. XIV. 6, 1; Plaut. Amph. 886; Lucil. Laber. Varro apud Gell. XVI. 9.

c i r c u m c i r c a Sulp. Ruf. epist. IV. 5, 4 „coepi regiones circumcirca[4]) prospicere;" Plaut. Aul. 468; bell. Hisp. 41, 4.

(1881), p. 87—141 (Ser. Sulpicius Rufus, M. Claudius Marcellus, C. Cornelius Dolabella, M. Curius). — Ueber die Latinität des P. Vatinius in den bei Cicero ad fam. V. 9; 10 erhaltenen Briefen, Progr. Mannheim 1881. — Ueber den Sprachgebrauch des Asinius Pollio in den bei Cicero ad fam. X. 31—33 erhaltenen Briefen mit Berücksichtigung der bei Quintilian, Seneca usw. überlieferten Fragmenten aus dessen Reden und Geschichtsbüchern. Zeitschr. z. 36. Philol.-Versammlung zu Karlsruhe 1882, p. 76—101, München 1890[2]. — Ueber Charakter und Sprache des C. Matius. Commentationes Woelfflinianae, Lipsiae 1891 p. 269—274.

[1]) Quod de syntaxi disserere a mea quaestione alienum est, reicio de hac re imprimis ad Reblingium l. c. p. 22 sqq.; Stinnerum l. c. part. II., De vocabulorum consecutione p. 21 sqq.; Krausium l. c. p. 20 sqq.; Reisigium, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, ed. Haase, Berlin 1881 et 1888, § 329 et adn. 504; Draegerum, Hist. Syntax d. lat. Sprache, II. p. 460 sqq .Eadem res etiam ab omnibus, qui de genere dicendi eorum, qui ad Ciceronem epistulas miserunt, tractabatur; quorum libellos infra laudabo .

[2]) Eadem fere dicit Stinner l. c. p. 21.

[3]) In hac re summum studium collocavit J. Egli, qui tres libellos composuit, Die Hyperbel in den Komödien des Plautus und in den Briefen an Atticus, Zug 1891, 1892, 1893; cf. etiam Rein l. c. p. 8 sq.

[4]) Hoc loco etiam memorabile est dictu adverbium more Graeco vim adiectivi habere. Saepe apud posteros scriptores adverbia more adiectivorum adhibentur, ut c i r c a Liv. I. 17, 4; cf. etiam apud Cic. ipsum t u m Pis. 21; s a e p e nat. deor. II. 166; vide Draeger l. c. I. p. 131 sq.

s e d u c e r e [1]) idem est atque ire Pollio epist. X. 32, 1; Plaut. Amph. 1043; Aul. 708; Bacch. 593; Ter. Hec. 521. Idem significant

s e m o v e r e Att. IV. 9, 2; Plaut. Trin. 802;

s e c o m m o v e r e epist. VI. 20, 3; cf. s e a m o v e r e Plaut. Most. 74; Ter. Phorm. 566.

c o n c i n n a r e est facere, reddere Trebon. epist. XII. 16, 3; Plaut. Capt. 601; Trin. 684; Stich. 286; Truc. 793.

m u g i n a r i proprie Atta com. 4; transtate (cf. Paul. ex Fest. 147, 1 M = 129, 1 Th.) Att. XVI. 12, 1 „de Ocella, dum tu muginaris nec mihi quicquam rescribis, cepi consilium domesticum;“ Luc. sat. VII. 294.

r e c i p e r e est polliceri Att. II. 22, 2; XIII. 1, 2; V. 13, 2; epist. V. 8, 5; XI. 1, 4; XIII. 10, 3; XIII. 17, 3; XIII. 50, 2; Caecin. epist. VI. 7, 4; Planc. epist. X. 7, 1; X. 9, 1 saepiusque; Plaut. Mil. 230; Ter .Haut. 1056; Suet. Jul. 23; cf. Landgraf ad. Cic. Rosc. 114 et Bl. f. d. b. G. W. XVI. p. 279.

e x p u t a r e Planc. epist. X. 24, 6; Plaut. Trin. 234; auct. ad Her. II. 42; cf. Bergmueller, Ueber die Latinität der Briefe des L. Manutius Plancus an Cicero, Erlangen u. Leipzig 1897 p. 23 sq.

a c u l e a t u s proprie apud posteriores scriptores, cf. Thes. l. L. s. v.; transtate Att. XIV. 18, 1 (falso Georges XIV. 8, 1) ,,satis aculeatas ad Dolabellam litteras dedi"; ad. II. 75; Plaut. Bacch. 62; Aug. de beata vita II. 14.

s u p e r est de. Quamquam omnibus temporibus[2]) in sermone Latino hic usus invenitur, tamen videmus vocabulum 'super' tali vi affectum esse in iis tantum fere scriptis, quae sermonem vulgarem non repudiaverint. Atque exempli causa affero Att. X. 8, 10; XIV. 22, 2; XVI. 6, 1; Plaut. Most. 727; Amph. 58; Sall. Jug. 71, 5. Multa exempla huius praepositionis 'super' Leutiohann ex epistulis et carminibus C. Solii Apollinaris Sidonii in Mon. Germ. hist. VIII. ind. verb. et locut. s. v. congessit.

Deinde sermonem vulgarem imprimis redolere videntur locutiones verbo f a c i e n d i formatae, id quod Cicero ipse docet, quippe qui Phil. 3, 22 „quid est porro 'facere contumellam?' quis sic loquitur?“ locutionem Antonii 'contumellam facere' vituperet, cum eadem iam legatur apud Plautum As. 489 „tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?“; Ter. Phorm. 972; Eun. 866; Cato apud Gell. X. 14, 3. Ego quidem ex Ciceronis epistulis notavi has locutiones: c o n v i c i u m f a c e r e Att. I. 14, 5; c o n i e c t u r a m f a c e r e Att. XIII. 9, 2; g r a t u l a t i o n e m f a c e r e epist. XI. 18, 3; h a r u s p i c i n a m f a c e r e epist. VI. 18, 1; i u d i c i u m f a c e r e epist. XIII. 29, 1; s p e m f a c e r e Att. III. 16; d o l o r e m f a c e r e Att. XI. 8, 2; t i m o r e m f a c e r e Planc. epist. X. 18, 2; c o n l o q u i a f a c e r e Planc. epist. X. 23, 5; bell. Afr. 51, 3; m e d i c i n a m f a c e r e epist. XIV. 7, 1; f u c u m f a c e r e Q. Cic. pet. cons. 35; Ter. Eun. 589; cf. Archiv f. lat. Lex. X. p. 235; Thielmann, Stilistische Bemerkungen zu den Jugendwerken Ciceros in Bl. f. d. bayr. Gymn. W. XVI (1880), p. 206; Krebs, Antib. s. v. facere.

Nec minus quam enumerata verba et locutiones plurima proverbia, quibus epistulae abundant, idonea esse videntur ad familiarem et vulgarem colorem sermonis epistularum illustrandum. Sed quod loci proverbiales iam accuratissime pertractati sunt compluribus quaestionibus, quas P., A. Otto, Carl Weyman, A. Sonny in Arch. f. lat. Lex. vol. III., IV., V., VI., VII., VIII., IX., XIII. conscripserunt, si iterum eidem rei operam navaremus, studium et laborem profunderemus ac perderemus; cf. etiam P. Meyer l. c. p. 52 sqq. et Landgraf Bl. f. d. b. G. W. p. 318. Itaque iam in campum descendam et nonnulla tantum proverbia proferam. Initium capiatur a substantivo

u n g u i c u l u s epist. I. 6, 2 ,,sed praesta te eum, qui mihi a 'teneris', ut Graeci aiunt, 'unguiculus' es cognitus;“ de proverbio Graeco „ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων“ cf. Automed. 3 (V. 129) et Plut. de educ. lib. neris', ut Graecia iunt, 'unguiculis' es congnitus;“ de proverbio Graeco festivissuma"; Stich .761; Hor. carm. III. 6, 23; Apul. met. X. 22.

[1]) De hoc usu verborum, quae motum significant, plura vide apud P. Meyerum, l. c. p. 31 sqq.

[2]) Cf. Draeger I. c. I. p. 664.

Romanorum et Graecorum commune proverbium est etiam prora et puppis (πρῶρα καὶ πρύμνη) epist. XVI. 24, 1 „mihi 'prora et puppis', ut Graecorum proverbium est, fuit a me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares".

umbram timere Att. XV. 20, 4 „etsi mihi videtur iste, qui umbras timet, ad caedem spectare"; Q. Cic. pet. cons. 9 „Antonius umbram suam metuit"; cf. Prop. II. 34, 19.

scopas solvere Att. VII. 13 b, 2 „L. Caesarem vidi . . . . non hominem, sed scopas solutas"; at usum proverbialem excusat Cicero orat. 235 „isti autem cum dissolvunt orationem, in qua nec res nec verbum ullum est nisi abiectum, non clipeum, sed ut in proverbio est (etsi humilius dictum est, tamen simile est), scopas mihi videntur dissolvere".

paenulam scindere alicui i. e. rogare aliquem, ut maneat Att. XIII. 33 a, 1 „sed ego ita egi, ut non scinderem paenulam"; cui usui contrarium est paenulam vix attingere ibid. „horum (C. Capitonis et T. Carinatis) ego vix attigi paenulam".

duo parietes de eadem fidelia dealbare Curius epist. VII. 29, 2; eandem sententiam quam hoc proverbium habet Cic. R. Amer. 80 „interdum mihi videris, Eruci, una mercede duas res adsequi velle" et Plaut. Cas. 476 „iam ego uno in saltu lepide apros capiam duos".

sartum et tectum epist. XIII. 50, 2 „hoc mihi da atque largire, ut M. Curium 'sartum et tectum', ut aiunt, ab omnique incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque conserves"; cf. Plaut. Trin. 317 „sarta tecta tua praecepta usque habui mea modestia" et quae ad l. c. dicit Brix-Niemeyer in editione, Lipsiae 1888 p. 62.

Haec pauca interim sufficiant, quod in mea quaestione saepius, quam prope absit sermo epistularum a sermone illorum scriptorum, qui ad plebis sermonem descenderunt, attingendi occasio erit. Sed quamquam Cicero in epistulis sibi indulget saepiusque verba, quae a sermone polito abhorrent, inserit, tamen in mentem revocandum est eum incorruptum Latinitatis auctorem Quintiliani iudicio fuisse. Cf., quid Fronto de Ciceronis epistulis iudicet p. 107 N „omnes autem Ciceronis epistulas legendas censeo mea sententia, vel magis quam omnes eius orationes. Epistulis Ciceronis nihil est perfectius"; vide etiam p. 63 N.

Quod igitur de genere dicendi agitur, mentio incidit in id, quo factum sit, ut Cicero non solum singula verba litteris Graecis scripta dictioni suae immisceret, sed etiam interdum lingua Graeca sola fere in nonnullis epistulis cogitationes suas exprimeret.[1]) Jam vero ad eam rem declarandam affero has causas.

Ac primum quidem Cicero si quisquam in litteris Graecis versatus erat. Nam quod tam clare perspexerat, quanti Graecorum litterae essent aestimandae quantusque fructus ex iis percipi posset, a pueritia in sermonem Graecum discendum incubuit. Cuius scientiam summam consecutes multos Graecorum libros in patrium sermonem transtulit, ut Xenophontis *Οἰκονομικόν* (cf. off. II. 87), Euripidis nonnullas fabulas, Platonis nonnullos dialogos, Arati *Φαινόμενα*, atque ita multis exercitationibus eruditus ad philosophiam Graecorum in sermonem Latinum convertendam aggressus est. Neque tamen idcirco multis verbis peregrinis[2]) eum linguam Latinam inquinasse putandum est. Satis sit locos afferre, ut top. 30; fin. IV. 72, quibus locis docemur Ciceronem puri sermonis studiosissimum fuisse, quod numquam sine explicatione sive excusatione verbum peregrinum assumpsit. At quanta admiratione imbuimur in epistulis (orationes enim ne unum quidem vocabulum peregrinum

---

[1]) Ne id quod hoc loco volo falso intellegatur, admoneo mere Graecis vocabulis agi; nam ea vocabula, quae Cicero ex lingua Graeca mutuavit et sermoni Latino accomodavit, posterius tractabuntur.

[2]) Locos, quibus verba Graece scripta apud Ciceronem reperiuntur, et vocabula ex lingua Graeca mutuata, quae is in scriptis suis adhibuit, collegit Linderbauer, De verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione, Progr. Metten 1892 et 1893. Verba mere Graeca sola congessit Baiter, Onom. Tull. VIII. 3.

praebent) tot verba Graece scripta nobis occurrere![1]) Cuius rei eam esse causam patet, quod Cicero, cum in orationibus, ne aures populi, qui sua nimis fere admiretur alienaque fastidiat, offendat, caute timideque vitet, in epistulis, utpote quae non scriptae sint in publicum exeundi causa, litterarum Graecarum scientiam prae se fert. Quam ob rem nonnumquam fit, ut sententias Graecas, quae proverbii locum obtineant[2]) inveniamus, velut „πρόβλημα Ἀρχιμήδειον" Att. XII. 4, 2; XIII. 28, 3 „id est Ἀβδηριτικόν Att. VII. 7, 4 (cf. Att. IV. 17 (18), 3 „hic Abdera non tacente me"[3]). Sed multum inter se differunt epistulae, quae dicuntur ad familiares et ad Atticum; in illis enim Cicero 75 fere locis, in his saltem 800 locis verba Graece scripta usurpavit. Cuius rei quin causa fuerit cum familiarissima amicitia, quae Ciceroni cum Attico intercedebat, tum maxime Attici litterarum Graecarum ardentissimum studium,[4]) dubitare non possumus; vel etiam Cicero Attici nomine ipso adductus esse videtur, ut epistulis ad eum datis leporum Atticorum copiam uberiorem adspergeret;[5]) cf. Att. XV. 1 a, 2 „quamquam vereor, ne cognomine tuo lapsus ὑπεραττικὸς sis in iudicando". Eodem modo ex epistulis ad familiares eae plura verba Graeca habent, quae ad amicos missae sunt, quibuscum summa familiaritate coniunctus erat, ut epistulae ad Varronem, Cassium, Paetum. At ut contrarium etiam ostendam, in libro primo epistularum ad familiares nullum verbum Graece scriptum reperitur, quae res inde repetenda est, quod omnes epistulae datae sunt ad Lentulum, quo Cicero familiarius usus non est, et quod plerumque agitur de re publica.

Deinde si singulas epistulas comparaveris, animi quoque affectionem plurimum valuisse apparet, de quo P. Meyer l. c. p. 57 dicit: „Litteris Graecis epistulis quasi nugarum atque ineptiarum nota[6]) imprimitur, aeque ac si nos in epistulis litterulis Gallicis vel aliis imbutos esse ostentamus.Jd cum ab gravitate, qua vir Romanus censebatur, abhorreret adderetque grassatoris speciem, Cicero in epistulis, quibus exsul miserias suas deploravit quaeque in tertio ad Atticum libro exstant, nullo

---

[1]) Vide Linderbauer l. c. I. p. 25 sqq.; R. Mücke, De locis Graecis, qui insunt in Ciceronis ad Atticam epistulis, commentatio, Progr. Nordhausen 1878; R. Löw, Quaestiones de Graecorum verborum, quae in epistulis Ciceronis exstant, fontibus, usu, condicionibus, diss. 1889; R. B. Steele, The Greek in Cicero's epistles. Amer. Journ. of Philol. XXI (1900), p. 387—410.

[2]) Cf. etiam supra p. 4 'u n g u i c u l u s' et p. 5. 'p r o r a e t p u p p i s'.

[3]) Cf. Otto, Die historischen und geographischen Sprichwörter in Woelffl. Arch. vol. III. p. 355—387.

[4]) Ex maxima admiratione litterarum artiumque Graecarum, qua Atticus imbutus erat, intellegimus, quae causa fuerit, qua Cicero adduceretur, ut nonnumquam, etsi Latinum vocabulum aptum et usitatum sumere posset, Graecum praeferret, velut Att. I. 12, 1 σκήψεις atque ἀναβολαί = tergiversationes (cf. Mil. 54; Att. X. 7, 1; bell. Afr. 8, 4) et dilationes (cf. Manil. 2; Phil. 3, 2; Plin. epist. X. 81 (85), 5; Tac. ann. VI. 4; Suet. Nero 15; gramm. 22); Att. IX. 19, 1; XIV. 15, 1; XIV. 16, 2 ἀναθεώρησις = consideratio (cf. inv. II. 103; ac. II. 36; II. 127; Gell. XIII. 29, 6); Att. X. 8 a 1 ζηλοτυπία = obtrectatio (cf. Front. 68; prov. cons. 38; ad Q. fr. I. 1, 43; epist. I. 7, 7; Vat. epist. V. 9, 1; Brut. 156; imprimis videas velim Tusc. IV. 18 „obtrectatio autem est, ea quam intellegi ζηλοτυπίαν volo, aegritudo"; Tac. hist. I. 1); Att. V. 14, 1 παράπηγμα ἐναύσιον commoveto = Att. V. 15, 1 clavom anni movebis; ad Q. fr. III. 4, 6 Ἄρη πνέων = Att. XV. 11, 1 Martem spirare. Plura vide apud Meyerum, Beitr. p. 4 sq.

[5]) Sub uno eodemque aspectu ponendum est Att. VII. 17, 2 „scriptae enim et datae (litterae) ita sunt, ut proponerentur in publico, in quo accusavi mecum, ipse Pompeium qui, cum scriptor luculentus esset, tantas res atque eas quae in omnium manus venturae essent. Sestio nostro scribendas dederit; itaque nihil umquam legi scriptum σηστιωθέστερον".

[6]) Cf. Reisig l. c. I. § 36.

Graeco vocabulo, ne Latinis quidem litteris scripto usus est." Praeterea in libro undecimo etiam uno vocabulo cistophori Att XI. 1, 2 excepto incorrupta Latini sermonis integritas adhibetur, quod epistulae huius libri anno 48 a. Chr. n. in Pompei castris scriptae sunt. Atque quod ad epistulas, quae ad Brutum nominantur, pertinet, idem de iis dici potest quod de libro tertio et undecimo epistularum ad Atticum; nam hae ,si unum vocabulum ἐμφατικώτερον ad Brut. I. 1, 1 excipis, nullum verbum mere Graecum praebent, quod seditiosis temporibus post Caesarem interfectum anno 43 a .Chr. n. scriptae sunt.

Et denique vero maximi momenti sunt res, de quibus singulis epistulis agitur. Nam nulla fere verba peregrina Ciceronem inserentem videas, cum loquitur de rebus civilibus, si quidem eas exceperis, quas μυστικώτερον (Att. VI. 4, 3) scripsit, velut Att. VI. 4 et 5, in quibus invehitur in triumviros. Multum etiam saepe valuit, quod Cicero non fidelem tabellarium[1]) invenire potuit. Longe plurima verba reiciunt ad res, quae ad elegantiorem vitae cultum pertinent atque a Graecis assumptae sunt, imprimis artium litterarumque disciplinas, ut Att. XII. 4; XIII. 12; Cass. epist. XV. 19.

Restat, ut pauca dicam de rationibus, quas in mea quaestione potissimum sequi constitui.

1. Ex epistulis diligenter accurateque colligentur ea vocabula, quae primum[2]) leguntur, quod hoc modo aliqua ex parte percipietur, quae incrementa verborum epistulis Ciceronis debeantur. Sin ea de causa putaremus omnia ea vocabula, quae primum in epistulis exstant, Ciceronis ingenio attribuenda esse, in maximo errore[3]) essemus. Quod optime comprobatur illis vocibus, quae quamquam apud Ciceronem primum occurrunt, tamen non ab eo formatae esse possunt, quod post Ciceronem quidem reperiuntur, sed apud scriptores, in quorum manus epistulae Ciceronis nullo modo venire potuerunt. Nam epistulae non a Cicerone ipso editae sunt,[4]) sed post mortem eius. At etiamsi verbo aliquo scriptor usus est, qui profecto id ex Ciceronis epistulis sumere potuit,

[1]) Cf. Att. XV. 4, 4 „hanc epistulam si illius tabellario dedissem, veritus sum, ne solveret"; I. 13, 1; XIII. 32, 3 „et quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexisti, credo, quod διὰ σημείων scripsi".

[2]) Praeterea vocabula, quae apud neminem nisi Ciceronem leguntur, asterisco * notabimus.

[3]) Quoniam iniuria temporum permulta scripta interierunt, huius modi quaestionibus non quid verum, sed quid verisimile sit, requiritur; cf. Zangemeister, De Horatii vocibus singularibus, Berlin 1862 p. 2 sq.

[4]) Qua re adducimur, ut quaestiones, quibus demonstratum sit, quo tempore Ciceronis epistulae foras exirent, aliquid attingamus. Sed quod non meum est, de ea re disserere, satis habeo id, quod inter doctos homines constant, repetere. Buecheler in commentatione 'coniectanea' Rh. M. XXXIV (1879) ,p. 352 ostendit epistulas ad Atticum circa annum 60 p. Chr. n. in publicum prodisse. Cui argumentationi novam causam addidit Leo, Miscella Ciceroniana (Jnd. lect. Goett. 1892 p. 4); cf. etiam eiusdem quaestionem, Die Publication von Cic. Briefen an Atticus (Nachrichten der Gesellsch. der Wissensch. zu Göttingen, Gött. 1895, p. 442.) et Mendelssohn, Fleckeis. Jahrb. CXLIX (1894) p. 569—571. Quod ad epistulas quae nominantur ad familiares spectat, id quidem ab hominibus doctis probatum est eas post Ciceronis mortem demum a Tirone liberto eius collectas atque paulatim editas esse. Eodem quoque tempore epistulae ad Brutum et ad Q. fratrem foras datae esse videntur; cf. Gurlitt, De M. Tullii Ciceronis epistulis earumque pristina collectione, diss. Halle 1879, qui dicit (vide l. c. p. 21) omnes epistulas exceptis illis ad Atticum a Tirone collatas et universas epistulas, etiam epistulas ad Atticum imperante Augusto editas esse, quam rem accuratius se comprobasse putat quaestione illa, quae inscribitur „Ciceros Briefschaften und ihre Verbreitung unter Augustus". Fleckeis. Jahrb. CXLIX (1894) p. 214 sqq. Sed sine dubio de meritis Tironis de epistulis colligendis atque edendis non rectum vidit. Cuius errores illi viri docti, quos supra memoravi, coarguerunt.

ut fortasse sine dubio haec formatio, si minus accurate inquiramus, in Ciceronem recidere videretur, tamen nobis valde cavendum est, ne temere iudicemus. Quod ut intellegatur, breviter exponere volumus, rationes quas Cicero ipse de vocibus formandis constituerit. Nam quamquam nullos locos nisi ex libris, quibus de arte rhetorica vel philosophia agitur, proferre possum, ubi Cicero sine ambagibus, quid ea de re sentiat, dicit, nonne maxime etiam meae quaestioni conducit? Ut iam ad rem veniamus, reicio ad nat. deor. I. 14 „sunt enim rebus novis nova nomina ponenda"; ac. II. 17 „fabricemur, si opus erit, verba"; ac. I. 24 postquam inauditum verbum qualitatis tractatum est, haec adduntur: „dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt, a quibus haec iam diu tractantur, utamur verbis interdum inauditis;" paulo post 27 „faciemus enim tractando usitatius hoc (verbum) et tritius"; cf. etiam fin. III. 51; III. 5; de orat. I. 155. Praeterea memoro duos hos locos orat. 211 „neque enim esse possunt rebus ignotis nota nomina, sed cum verba aut suavitatis aut inopiae causa trans ferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut, cum id appellandum sit, quod propter rerum ignorantiam ipsarum nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum aut a simili mutuari", et ac. I. 25 „aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina aut ex aliis transferenda... 'tu vero', inquam, 'Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, si eos non modo copia rerum auxeris, uti fecisti, sed etiam verborum'. 'Audebimus ergo', inquit, 'novis verbis uti te auctore, si necesse erit'". Sequitur ex his modo allatis locis Ciceronem, integrum et incorruptum Latini sermonis auctorem, inopia tantum verborum coactum, quod res usque ad suum tempus ignotas, quae videlicet propter ignorationem ipsarum nullum habuerint ante nomen, Latine reddere non potuerit, nova verba finxisse aut a simili mutuatum[1]) esse. Sed idem non est in epistulis. Nam quod epistulis missis acceptisque, quae ex praesenti usu atque affectione animi profluunt[2]), plerumque res cotidianas et quidquid nos praecipue occupat atque movet, inter nos consociamus, necesse non est ad has res exprimendas nova verba formemus, sed ex thesauro, qui populi ore creatus est, haurimus. Quam ob rem vere me iudicare puto, si plurima verba, etsi primum in epistulis occurrunt, imprimis cum de institutis, magistratibus, rebus cotidianae consuetudinis et vitae agitur[3]), potius esse sermonis plebei referuntur quam Ciceronis ipsius, qui, ut iterum in memoriam revocem, epist. IX. 21. 1 dicit: „epistulas vero cotidianis verbis texere solemus". At haud dubie vocabula blande ac male dicta plerumque excipienda sunt.

2. Verba derivata secundum suffixa, quibus formata sunt, colligemus, ut intellegatur, quaenam vocabulorum genera quaeque suffixa scriptor plurimum amaverit. Simul autem copia verborum epistularum dilucidior fiet, si verba praeter hanc rationem ita disponemus, ut primum epistulas ad Atticum, deinde ad familiares[4]), tum ad Quintum fratrem, denique ad Ciceronem ipsum missas pervestigemus.

---

[1]) Haec res mihi posterius curae erit, quod in significationibus mutatis, quae inveniuntur in Ciceronis epistulis, operam consumere in animo habeo.

[2]) Cf. epist. II. 4, 1 „epistularum genera multa esse non ignoras, sed unum illud certissimum, cuius causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset" et epist. XV. 14, 3 sq. „id quoniam non accidat (ut me convenias), utemur bono litterarum et eadem fere absentes, quae si coram essemus, consequemur: unus scilicet animi fructus, qui in te videndo est, percipi litteris non potest; alter gratulationis, est is quidem exilior, quam si tibi te ipsum intuens gratularer; . . . . tertium est, ut id, quod de nostris rebus coram communicassemus inter nos, conficiamus idem litteris".

[3]) Cf. Stinner l. c. p. 4 sq.

[4]) In earum numero ponimus etiam epistulas ad M. Brutum exceptis scilicet illis a Bruto missis, quas quarto generi adnumeramus. Quarto generi addimus quoque epistulam Q. Ciceronis de petitione consulatus.

3. Ex posterioribus scriptoribus loci, quibus illi vocabula a Cicerone quae videntur novata sumunt, accurate colligendi sunt; nam aliqua ex parte hac re aperte cognosci potest eorum imitatio atque certe ex omnibus apparet, quae illis verbis sors postea quaeve perennitas fuerit. In quo interdum lectores ad lexica delegabo, sed saepe non licet, quia loci saepe per complura lexica dispersi, saepe, ubi opus fuerat, conexu verborum non addito indicati, nondum vero plerumque, id quod caput est, temporum ordine digesti sunt. Itaque operam damus, ut ex locorum serie uniuscuiusque verbi quasi fata eluceant.

Hoc prooemio praemisso ad propositum ipsum transeamus.

I. Nomina simplicia.[1])

A. Substantiva.

Quod de verbis novatis secundum suffixa, in quae vocabula desinunt, agere volumus, primum proferamus

1. Substantiva in — io exeuntia.[2])

Haec substantiva, quae a verbis ducta sunt, conferri possunt in nostra sermone cum usu infinitivi, qui substantivi vice fungitur. Qui ut in nostra lingua imprimus sermonis cotidiani proprius est, ita in Latina quoque lingua haec substantiva, quae dicuntur verbalia, frequentiora fuisse in sermone cotidiano quam in eleganti oratione nemo negabit. Quam ob rem affluunt his exemplis comicorum fabulae.[3]) Neque id mirandum est; haec enim substantiva praecipue idonea sunt ad brevitatem consequendam, quam epistularum genus etiam saepe requirit, atque in his nominibus facultas simplici structura enuntiationis cogitationum exprimendarum inest. Quod apparet ex varia vi ac potestate, cum haec substantiva, quippe quae verbalia sint, ut supra dixi, non solum genera verbi exprimere possint, sed in utroque etiam genere vim temporis praesentis et perfecti habeant. Qua re maxime varia significatio efficitur.[4]) Itaque in epistulis Ciceronis etiam magnum horum vocabulorum numerum[5]) legimus, quae aut apud nullum alium scriptorem inveniuntur aut a posterioribus demum in usum convertebantur. Huc referenda sunt haec:

a b r u p t i o. Ubi primum legitur, idem significat quod d i v o r t i u m[6]), quae vis sine dubio substantivo subiecta est in ore plebis Att. XI. 3, 1 „utrumque grave est, et tam gravi tempore periculum tantae

---

[1]) Huc referimus ea quoque vocabula, quae a compositis vocibus derivata neque ipsa compositione orta sunt.

[2]) Cf. P. Meyer l. c. p. 18 sqq; Stinner l. c. p. 7 sq; Landgraf, Bl. f. d. b. G.-W. XVI. p. 319; Stolz, Hist. Gramm. d. lat. Sprache, I. 2 p. 545 sqq. Omnia substantiva in - io cadentia, quae apud scriptores Latinos inveniuntur, collegit Paucker, Meletemata lexistorica altera, Dorpati 1875 p. 32—52 et Beiträge zur lat. Wörterbildungsgeschichte 1873/4 p. 498—518.

[3]) Cf. P. Meyer l. c. p. 18 sq. et Schirmer, Ueber die Sprache des M. Brutus in den bei Cicero überlieferten Briefen, Progr. Metz 1884 p. 8.

[4]) Cf. Naegelsbach l. c., qui in libri primi cap. I. disserit de „Die Fundstätten der Substantiva" atque speciatim de usu substantivorum-io cadentium §§ 57—61; cf. etiam Stolz-Schmalz, Latein. Gramm. in Iv. Muelleri Handbuch d. klass. Altertumsw.. 1900 [3] p. 429 sqq.

[5]) Numerus aetate quae dicitur argentea valde auctus est; Schmalz L. G. p. 430 dicit numerum nominum in - io cadentium fere duplicatum esse a Ciceronis temporibus usque ad Hadrianum.

[6]) Hoc substantivum multo saepius exstat, ut Plaut. Mil. 1167; Cic. Att. XII. 52, 2; Cael. epist. VIII. 7, 2; Suet. Jul. 6. Idem valet d i s c i d i u m, velut Ter. Andr. 697; Cic. Att. XV. 29, 2; cf. Lorenz, Plaut. Pseud. 69.

pecuniae et dubio rerum exitu ista, quam scribis abruptio". Nativam et principalem notionem invenis div. II. 84; Fest. 270, 31 M. = 368, 31 Th. (cf. Paul. ex Fest. 271, 7 M. = 369, 12 Th.). Vide etiam Thesaurum linguae Latinae s. v. Substantivum 'e r u p t i o' saepissime reperitur, ut Caes. Gall. II. 32, 2; III. 3. 3; Plin. nat. VIII. 21; XVIII. 150; Quint. inst. VI. 5, 7; Suet. Jul. 64; Aug. 96; 'c o r u p t i o' Tusc. IV. 29; Ps. Ascon. Verr. p. 131; Tac. ann. II. 55; XI. 2; 'd i r u p i t o' est ἀπ. λεγ Sen. nat. II. 15; verbum simplex 'r u p t i o' exstat apud iuris consultos tantum, velut Ulp. Dig. IX. 2, 27, 17.

a p r i c a t i o raro Att. VII. 11, 1 „unam mehercule tecum apricationem in illo lucrativo tuo sole malim quam omnia istius modi regna"; Cic. Cato 57; Colum. VIII. 8, 4; Non. p. 482 „apricatio pro apricitas".

c a s t i g a t i o Att. III. 10, 3 „scripsi ut potius relevares me . . . . quam ut castigatione aut obiurgatione[1]) dignum putares"; off. I. 88; I. 137; Tusc. IV. 45; Liv. XXVII. 15, 2; XXXI. 46, 1; Plin. nat. XVIII. 32; Quint. inst. I. 3, 14; cf. Thes. l. L. s. v.

c i r c u m v e c t i o Att. II. 16, 4 „illud tamen, quod scribis, animadvertas velim de portorio circumvectionis (Durchgangszoll)[2]). Aliam notionem vox habet Tim. 29 „ut terram lunae cursus proxime ambiret eique supra terram proxima solis circumvectio esset"; Chalc. comm. 77; 93; 116; Isid. nat. 23, 1.

c o m m i s s i o significat apud Cic. certamina publica, imprimis poetarum atque rhetorum Att. XV. 26, 1 „tecum ago, ut iam ab ipsa commissione ad me, quem ad modum accipiantur hi ludi.... persequare"; Att. XVI. 5, 1; sic etiam Plin. epist. VII. 24, 6; paneg. 54; Suet. Aug. 43; Galba 6; de reliquo usu cf. Thes. l. L. s. v.

c o n s a l u t a t i o Att. II. 18, 1. „plausus maximi, consalutatio forensis perhonoritica"; Tac. hist. IV. 72; ann. XV. 16; Suet. Otho[3]) 9, Sulp. Sev. dial. I. 14, 1.

c o n s o l a t i o saepissime apud Ciceronem ipsum, imprimis in epistulis atque in libris de philosophia (cf. Merguet s. v.), atque post Ciceronem. Loci Ciceroniani hi sunt: Att. I. 3, 1; I. 17, 6; II. 18, 4 (falso Thes. l. L. II. 18, 1); III. 16; V. 2, 3; X. 4, 6; XI. 15, 2; XI. 25, 1; XII. 14, 3; epist. IV. 3, 3; IV. 5, 1 et 4; IV. 13, 1; V. 16, 3; VI. 1, 3; VI. 3, 4; prov. 15; Balb. 58; Mil. 100. Reliqua vide Thes. l. L. s. v.

c o n s u r r e c t i o Att. I. 16, 4 „credo te ex acclamatione Clodi advocatorum audisse, quae consurrectio iudicum facta sit;" har. resp. 2; Hieron. nom. hebr. p. 31, 10; p. 80, 11.

c r e t i o.[4]) Quod substantivum raro exstat atque plerumque in genere dicendi apto iudiciis. In epistulis Ciceronis duae species cretionis distinguuntur Att. XI. 12, 4 „puto enim cretionem simplicem fuisse" et XIII. 46, 3 „ex eo cognovi cretionem Cluvii... liberam cretionem, testibus praesentibus, sexaginta diebus"; saepius apud iuris consultos; per metonymiam vox invenitur Varro ling. VI. 81 et iuris consultos. Vide P. W. R. E. IV. 1708 sqq. et Thes. l. L. s. v.

d e l e g a t i o Att. XII. 3, 2 „tres habet condiciones aut emptionem ab hasta... aut delegationem a mancipe... aut Vettieni condicione semissem"; Sen. benef. VI. 5, 2; translate id. epist. 27, 4 (falso Thes. l. L. s. v. 27, 5, ubi reliquum usum conferas velim) „delegationem res ista non recipit"; vide etiam P. W. R. E. IV. 2429.

d e s i g n a t i o, quae vox Vitr. I. 6, 7; III. 1, 3; V. 3, 7 exceptis translate tantum exstat Att. IV. 4 b, 1 „offendes designationem Tyrannionis mirificam librorum meorum"; de orat. I. 138; nat. deor. I. 20; Vitr. V. 5, 2; Tac. ann. II. 36; Suet. Iul. 9; Lact. inst. IV. 15, 5.

---

1) Cf .infra p. 15.

2) Cf .Verr. 4, 75; Strabo C. 798.

3) Cf. Plutarch, Otho 12 προσαγόρευσις.

4) De verbo cernendi, a quo verbo substantivum 'cretio' derivatum est, eiusque significatione in quaestione disseram, quam supra p. 8, adn. 1 promisi.

d e t r a c t i o, primo loco translate Att. XII. 34, 3 „certiorem me velim facias... cuius loci detractionem fieri velit"; proprie div. II. 48; term. tech. artis medicinae Tim. 18; de reliquo usu cf. Thes. l. L. s. v.

d e v i t a t i o Att. XVI. 2, 4 „facilior enim et exploratior devitatio legionum fore videtur quam piratarum"; hoc uno loco proprie, translate Aug. civ. 14, 10; epist. 238, 9; gen. ad litt. 8, 16 p. 256, 8; Boeth. Arist. top. 8, 3 p. 1001 A; absolute Aug. gen. ad litt. 11, 8 p. 339, 20.

e n u n t i a t i o Att. IV. 17 (18), 3 „intellegebamus enuntiationem illam Memmi valde Caesari displicere"; pluralis numerus Aur. Vict. 39, 46; saepius in Ciceronis libro, qui inscribitur de fato (cf. Merguet s. v.), ubi idem est atque enuntiatum; sic etiam Quint. inst. VII. 3, 2; IX. 1, 23.

e r o g a t i o Att. XV. 2, 4 „πεντέλοιπον movere ista videntur, in primis erogatio pecuniae"; saepius inde a Plin. demum, ut Traian. Plin. epist. X. 24 (35); Plin. paneg. 41, 1; Tac. ann. XIII. 50; saepe apud iuris consultos.

i m p u g n a t i o Att. IV. 3, 3 „ipse domum P. Sullae pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat"; Hier. Jes. 18, 2; Ennod. duodecim locis, vide ind. Vogelii p. 389.

* i n h i b i t i o, ἅπ λεγ., Att. XIII. 21, 3 „inhibitio autem remigum motum habet et vehementiorem quidem remigationis [1]) navem convertentis ad puppim." Cuius vocis de singulari vi cf., quod Cicero ipse l. c. disserit de verbo inhibendi: „nunc ad rem ut redeam, 'inhibere' illud tuum [2]), quod valde mihi adriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum: quamquam id quidem sciebam, sed arbitrabar sustineri remos, cum inhibere essent remiges iussi;" cf. etiam Liv. XXVI. 39, 12 „cum rostris concurrissent neque retro navem inhiberent"; Germ. 347; Curt. IV. 4, 9; Lucan. III. 659; Quint. inst. XII. praef. 4; Iust. II. 12, 7.

* o b i r a t i o, ἅπ. λεγ Att. VI. 3, 7 „huius nebulonis obiratione si Brutus moveri potest, licebit eum solus ames, me aemulum non habebis". Hoc loco cod. Med. exhibet 'operatione', Labienus autem coniecit 'oratione', quod Baiter, Wesenbergius, Mueller in textum receperunt. At mihi quidem maximam probabilitatis speciem videtur habere coniectura, quam Bosius fecit 'obiratione'. Nam quod vocabulum 'obiratio' ἅπ. λεγ. est, librariis inauditum esse videbatur, qua re facile factum est, ut usitata vox 'operatio' textui insereretur. Obiratio sententiae quoque ac colori loci magis respondet, ut opinor, quam oratio.

o b l e c t a t i o, quod substantivum Cicero saepe adhibuit, imprimis autem in libris, qui ad philosophiam pertinent (cf. Merguet s. v.), sed in orationibus nusquam, in libris rhetoricis semel de orat. I. 118; in epistulis occurrit numerus pluralis Att. IV. 10, 1 „sed mehercule a ceteris oblectationibus deseror"; posterius apud scriptores ecclesiasticos tantum, ut Vulg. Sirach. 37, 4. Cf. o b l e c t a m e n t u m Verr. 5, 134; Cato 52; Laelius 103 saepiusque; Sen. epist. 9, 7; Suet. Aug. 71; Tib. 72.

o b n u n t i a t i o, term. tech. sermonis, quo augures utuntur, qua ex re vocem iam usu in sermonem receptam esse concludendum est; Att. IV. 17 (18), 4 „obnuntiationibus per Scaevolam interpositis"; ad Q. fr. III. 3, 2; div. I. 29 bis; Arnob. nat. II. 67.

* o b v i a m i t i o.[3]) Sic Cicero Latine reddidit verbum Graecum ἀπάντησις (cf. Att. VIII. 16, 2 „quas fieri censes ἀπαντήσεις"; IX. 7, 2 „ad urbem ἀπάντησις"; XVI. 11, 6, „mirifica ἀπάντησις") Att. XI. 16, 1 „de obviam itione ita faciam, ut suades"; XIII. 50, 4.

---

[1]) De hac voce cf. infra p. 12.

[2]) Ubi Atticus illud verbum adhibuerit, nescimus, fortasse in epistula ad Ciceronem missa.

[3]) Copiosius disputavit de hac voce P. Meyer l. c. p. 19, qui exempla ax pristinis scriptoribus affert, qui 'd o m u m i t i o' scripserunt, ut Pacuv. trag. 173; trag. inc. 26 et 27.

pacificatio[1]) Att. VII. 8, 4 „quod quaeris, ecquae spes pacificationis sit... ne voluntas quidem est"; IX. 11, 2; epist. X. 27, 2; Gell. VI. 3, 3; Chromat. beat. 7.

* pellectio, ἅπ. λεγ., Att. I. 13, 1 „quotus enim quisque est, qui epistulam paulo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione relevarit."

peregrinatio[2]) Att. VI. 2, 2 „in hac autem peregrinatione militiave nostra saepe incensum ira vidi"; IX. 10, 4; XV. 13, 6; XVI. 3, 4; Tusc. I. 98; V. 107; Lael. 103; Phil. 2, 101. Post Ciceronem vox legitur apud Nepotem, utrumque Plinium, Quintilianum, Tacitum, Suetonium, iuris consultos, scriptores ecclesiasticos.

* prensatio, ἅπ. λεγ., Att. I. 1, 1 „ut opiniost hominum, non aliena rationi nostrae fuit illius haec praepropera prensatio."

* remigatio, ἅπ. λεγ., Att. XIII. 21, 3; cf. inhibitio supra p. 11.

renovatio, quod substantivum proprie atque translate exstat apud Ciceronem, proprie nat. deor. II. 118; II. 127; at singulari vi vox induta est Att. VI. 1, 5, quod hoc loco sic verbum Graecum 'anatocismus'[3]) translatum est: „confeceram, ut solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum"; haec vis substantivo nullo alio loco inest; translate epist. XI. 18, 3 „renovatio timoris magnam molestiam afferebat"; Brut. 250; Liv. V. 52, 9; apud rhetores renovatio dicitur illa pars perorationis, quam Graeci nominant ἀνακεφαλαίωσιν; Sulp. Vict. rhet. 23 p. 324.

repraesentatio,[4]) ex sermone iuris consultorum sumptum substantivum, idem est quod solutio (cf. Caes. civ. III. 20, 1; Cic. Att. XII. 51, 3; XIV. 20, 2) Att. XII. 31, 2 „si enim Faberianum venderem, explicare vel repraesentatione non dubitarem de Silianis"; XIII. 29, 2; epist. XVI. 24, 1; de usu apud scriptores posterioris aevi vide Georg. s. v.

retentio Att. XIII. 21, 3 „semperque Carneades προβολὴν pugilis et retentionem aurigae similem facit ἐποχῇ; XIII. 23, 3; XIII. 25, 1; retentio assensionis translate est Graecum vocabulum 'ἐποχή', sic bis ac. II. 59 et 78; cf. etiam Ps. Ascon. Verr. p. 156; saepius apud iuris consultos et script. eccles., ut Lact. inst. VI. 10, 25.

retrectatio sive retractatio Att. XIII. 24, 2 „conficies igitur et quidem sine ulla dubitatione et retrectatione"; Tusc. V. 82; Phil. 14, 38; Liv. VI. 28, 4. Augustinus opus, quod inscribitur retractationes composuit.

ruminatio[5]) per imaginem et translationem legitur Att. II. 12, 2 „quanto magis vidi ex tuis litteris quam ex illius sermone, quid ageretur, de ruminatione cotidiana"; cf. etiam Plin. nat. XV. 94; XVII. 191; proprie Plin. nat. XI. 211; Serv. Verg. ecl. 6, 54.

temptatio sive tentatio Att. X. 17, 2 „valetudinem tuam iam confirmatam esse et a vetere morbo et a novis temptationibus gaudeo;" Liv. III. 38, 7 saepiusque; Aug. civ. I. 27.

---

[1]) Cf. pacificator infra p. 17 et pacificus, de quo adjectivo in II. parte huius quaestionis.

[2]) Cf. peregrinator infra p. 18.

[3]) De verbo 'anatocismus' ex lingua Graeca mutuato in II. parte huius quaestionis.

[4]) Idem valet verbum repraesentandi, ut Att. XII. 25, 1 „reliquae pecuniae vel usuram Silio pendemus, dum a Faberio, vel cum aliquo, qui Faberio debet repraesentabimus"; XIII. 29, 2; XIII. 31, 2.

[5]) Eadem ratione in usu est verbum ruminandi Varro et Liv. Andr. apud Non. p. 166 „ruminari dictum in memoriam revocari. Varro Tanaquile: non modo absens nihil quicquam de te sequius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem. Livius Aegistho: nemo haece vostrum ruminetur mulieri."

transmissio. Cic. huic vocabulo dedit bis vim verbi 'transmissus',[1]) sed hic usus in sermonem, si Itin. Alex. 54 omiseris, receptus non esse videtur; Att. IV. 19 (17), 1 „quam mehercule ego valde timebam, recordans superioris tuae transmissionis δέος"; Phil. 1, 7. Omnino hoc substantivum raro exstat, proprie apud Augustinum atque Cassiodorum.

*aberratio[2]) epist. XV. 18, 1 „verum tamen aliam aberrationem a molestiis nullam habemus"; Att. XII. 38 a, 1 „hanc aberrationem a dolore delegerim."

adlevatio, apud Ciceronem translate tantum epist. IX. 1, 1 „etsi tot tantisque rebus urgemur, nullam ut adlevationem quisquam non stultissimus sperare debeat"; fin. I. 40. Apud posteros scriptores, qui hoc verbum rursus assumpserunt, substantivum nativa notione instructum est, ut Quint. inst. XI. 3, 83; de reliquo usu cf. Thes. I. L. s. v.

adsessio epist. XI. 27, 4 „oblitumne me putas, qua celeritate... ad me Tarento advolaveris, quae tua fuerit adsessio". Hic usus singularis est; nam Aug. conf. VIII. 6, 13; Cod. Iust. I. 51, 14 pr. et 1 significat munus assessoris.

*compilatio, ἅπ. λεγ., epist. II. 8, 1 „tu me hoc tibi mandasse existimas.... ut vadimonia dilata et Chresti compilationem mitteres".

compotatio et *concenatio, quibus verbis Cicero vocabula Graeca συμπόσιον et σύνδειπνον transtulit epist. IX. 24, 3 „illi (Graeci) συμπόσια aut σύνδειπνα, id est compotationes aut concenationes, nos 'convivia', quod tum maxime simul vivitur"; Cato 45. Illud vocabulum praeter locos laudatos invenis Isid. orig. XX. 1, 3.

efflagitatio.[3]) Ex cuius vocis usu apparet eam in ore ac sermonibus omnium versatam esse, quod Cicero, Plancus, Brutus adhibuerunt. Primum substantivum usurpavit Cic. epist. V. 19, 2 „efflagitatio ad coeundam societatem"; deinde Brut. Cic. ad Brut. I. 16, 11 „quin neminem magis decet rem publicam amare libertatisque defensorem esse vel ingenio vel rebus gestis vel studio atque efflagitatione omnium"; tum Planc.[4]) Cic. epist. X. 24, 6 „insulsa cum efflagitatione transtulerit." Vox redit apud Tacitum.

imminutio, plerumque translate ut verbum imminuendi (cf. Georg. s. v.). Ita etiam mutata est vox, ubi primum exstat epist. III. 8, 2 „quid a me ileri potuit aut elegantius aut iustius, quam ut sumptus egentissimarum civitatum minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuae"; item Quint. inst. V. 10, 33 et VII. 4, 3; Lampr. Comm. 14, 5. Apud rhetores vox est figura rhetorica atque idem significat ac λιτότης, cf. de orat. III .207; Quint. inst. IX. 1, 34; IX. 3, 90; proprie fin. V. 47; vi obscena Auson. 28, 3, 6.

intermissio, saepius apud Ciceronem, imprimis in libris de philosophia (cf. Merguet s. v.), et transitiva vi epist. VII. 13, 1 „neque alia ulla fuit causa intermissionis epistularum nisi quod ubi esses plane nesciebam"; V .17, 1; Cic. fil. Cic. epist. XVI. 25; Lael. 8. et intransitiva nat. deor. I. 114; sed posterius raro Liv. V. 5, 7; Suet. Claud. 20; Ulp. Dig .XXVIII. 1, 20, 4.

levatio[5]) . Ut verbum levandi immutata vi tritissimum erat (cf. Georg. s. v.), ita se habet cum substantivo, quod ab eo derivatum est epist. VI. 4, 5 „non enim dubito, quin magnae tibi levationi solitus sit esse cotidianus congressus"; Att. XII. 23, 3; XII. 29, 1; XII. 41, 3;

---

[1]) Cf. Caes. Gall. V. 13, 2 „Hiberna insula dimidio minor, ut existimatur quam Britannia, sed pari spatio transmissus atque ex Gallia est in Britanniam"; V. 3, 2; Gell. X. 26, 1.

[2]) Verbum simplex 'erratio' iam apud comicos reperitur Plaut. Rud. 180; Ter. Ad. 580.

[3]) Cf. „flagitatio" top. 5; Tac. ann. XIII. 50; Apul. met 1; Iust. II. 3, 16.

[4]) Cf. Bergmueller, Ueber die Latinität des L. Manutius Plancus an Cicero, Erlangen und Leipzig, 1897 p. 17.

[5]) Cf. supra adlevatio. —

Tusc. I. 149; V. 121; fin. IV. 67; Vell. II. 130, 5. Vocem vi naturali praeditam inveni Vitr. X. 3, 1; cf. etiam Aug. mus. III. 8.

n e g o t i a t i o epist VI. 8, 2 „consilium petis, quid sim tibi auctor, in Siciliane subsidas an ut ad reliquias Asiaticae negotiationis proficiscare"; XIII .66, 2; Colum VIII. 1, 1; Plin. nat. VI. 157; Suet. Vesp. 16 apud aliosque .

o b l i g a t i o ad Brut. I. 18, 3 „est autem gravior et difficilior animi et sententiae maximis praesertim in rebus pro altero quam pecuniae obligatio"; deinde apud iuris consultos, cf. Georg. s. v.

o c c i d i o, primum epist. XV. 4, 7 „cognovi . . . equitatum . . . . occidione occisum; redit apud Liv. Colum. Tac. Aurel. Vict. Just.

p r o p e r a t i o epist. V. 12, 2 „ad properationem meam quiddam interest non te exspectare"; Q. Cic. epist. XVI. 27, 1; Amm. XXXI. 5, 9.

p r o p u g n a t i o exstat proprie apud scriptores posterioris aetatis demum Gell. IX. 11, 1; Capitol. Maximin. 21, 6 (Val. Max V. 1 ext. 4 nun legitur 'propugnatorum'), cum Cic. hoc subst. translate usus sit epist .I .7, 2 „nam nostra propugnatio ac defensio dignitatis tuae . . . . plerisque officii maiorem auctoritatem habere videatur quam sententiae"; I. 9, 2; V. 8, 1; Sest. 3.

r e d u c t i o epist. I. 7, 4 „senatus consultum nullum exstat, quod reductio regis Alexandrini tibi adempta sit"; Vitr. V. 10, 5; X. 13, 6; Aug. in psalm. 7. serm. 2, 11.

s a t i s f a c t i o epist. VII. 13, 1 „nec satisfactionem meam accipis"; Att. IV. 6, 3; iam Caes. Gall. I. 41, 4; VI. 9, 8; Sall. Cat. 35, 2; Petron .107, 3; Plin. nat. X. 104; porro apud Tac. et iuris consultos.

v e l i f i c a t i o epist. I. 9, 21 „etiamsi portum tenere non queas, cum vero id possis mutata velificatione adsequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum"; praeterea proverbii locum obtinet Amm. XVIII. 5, 6 „velificatione plena in rem publicam ferebatur" et XXIX. 2, 22 „velificatione tranquilla, ut aiunt, ferebatur ad gloriam".

v e n a t i o saepius sumitur pro spectaculo venatorio, ubi ad populi voluptatem homines cum bestiis pugnabant; sic primum epist. VII. 1, 3, deinde Att. IV. 15, 6; XVI. 4, 1; off. II. 55. Propriam notionem invenis iam Caes. Gall. IV. 1, 8; Cic. Cato 56; de usu in libris de philosophia vide Merguet s. v. et apud alios scriptores Georg. s. v.

a d m o n i t i o,[1] quae vox saepissime posteris temporibus usurpatur, quod ex Thes. l. L. s. v. optime cognoscas; itaque mihi quidem locos Ciceronianos tantum colligere sufficiat: ad Q. fr. I. 2, 13 „quae ad te aliqua cum admonitione aut obiurgatione[2] scripsi"; epist. I 1, 2; V. 19, 2; Att. VI. 1, 10; XII. 46, 1; de orat. II. 282; II. 339; top. 64; div. I. 55; off. I. fin. I. 3030; Tusc. V. 19. Quibus omnibus locis admonitio respondet verbo Graeco 'νουθεσία' i. e. adhortatio, levis obiurgatio, cum uno loco fin .V. 2 admonitio idem valeat quod 'ὑπόμνησις' i. e. actio revocandi in memoriam.

a l i e n a t i o[3]) ad Q. fr. I. 4, 4 „alienatio consulum, etiam praetorum"; Att. VII. 4, 2; har. resp. 47; orat. 144; Phil. 2, 1; Lael. 76; Caes. civ. II. 31, 4; Liv. XXXV. 19, 2; Tac. hist. II. 60; de usu frequentissimo apud posteros conferas velim Thes. l. L. s. v.

a p p a r i t i o ad Q. fr. I. 1, 12 „quos vero aut ex domesticis convictionibus[4]) aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti". Hoc loco apparitio vi concreta ponitur pro apparitoribus;[5]) at. epist. XIII. 54 vox significat munus apparitoris; cf. etiam Amm. XV. 3, 8 „apparitio praefecturae praetorianae". Praeterea in Thes. l. L. s. v. exempla ex scriptoribus ecclesiasticis collata invenis, ubi apparitio est ἐπιφάνεια.

---

1) Cf. 'a d m o n i t o r' infr. p. 17.

2) De hoc vocabulo cf. infria p. 15.

3) Cf. 'a b a l i e n a t i o' top. 28; Frontin grom. p. 45, 13; plura vide in Thes. s. v.

4) De hoc vocabulo infra p. 15.

5) Hic usus, qui nihil mirabile habet, omnibus notus est; cf. 'c o n i u n r a t i o' Cat. 1, 13 „in qua (urbe) nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat"; a d v o c a t i o Sull.

* c o n v i c t i o [1]) ad Q. fr. I. 1, 12; cf. quod commodum dixi de voce 'apparitio'; l. c. convictiones ii sunt, quibus cotidie utimur. Nativam notionem subst. habet epist. XVI. 21, 4 „quem nullo tempore a me patior discedere, cuius cum frugi severaque est vita, tum etiam iucundissima convictio".

d e fe c t i o ad Q. fr. I. 1, 5 „nullam defectionem sociorum . . . pertimescimus; I. 4, 4; translate Att. III. 18, 2 „omnia mittit spei plena metuens ‚credo, defectionem animi mei"; Pis. 84; Phil. 13, 39; saepissime in libris de philosophia scriptis (cf. Merguet s. v.) et apud aequales, ut Caes „Gall. III. 10, 2, et apud posteros, de quibus conferas velim Thes .l. L. s. v.

h o r t a t i o [2]) ad Q. fr. I. 1, 41 „ac iam hoc loco non hortatione neque praeceptis, sed precibus tecum fraternis ago"; epist. IX. 14, 7; XI. 5, 1 et 3; Phil. 9, 6; fin. V. 6; Tusc. II. 37; Sall. Iug. 60, 2; Liv. XL. 4, 12; Suet. Aug. 85 memoratur liber Augusti, qui inscribitur „hortationes ad philosophiam".

l i b e r a t i o, plerumque, translate, ad Q. fr. I. 1, 35 „possunt in pactionibus faciendis non legem spectare censoriam, sed potius commoditatem conficiendi negotii et liberationem molestiae"; Pis. 87; Lig. 1; fin. I. 37; Quint. inst. V. 10, 33, saepius apud iuris consultos; proprie Just. V. 8, 12; Vulg. Judith. 12, 8.

o b i u r g a t i o ad Q. fr. I. 2, 13 bis „meae obiurgationes fuerunt amoris plenissimae"; alter locus laudatus est supra p. 14 s. v. 'admonitio', tertius supra p. 10 s. v. 'castigatio'; Cael. 27; Lael. 89; de orat. II. 339 bis; off. III. 83; Quint. inst. I. 3, 7; XI. 3, 49; porro apud scriptores ecclesiasticos; cf. Paul. Fest. 196, 7 M. = 231, 3 Th.

p r a e v a r i c a t i o ad. Q. fr. II. 15 (16), 3 „Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus"; Cael. epist. VIII. 8, 2; part. orat .124; Plin. epist. I. 20, 2; III. 9, 33; Corp. I. 200, 38; apud scriptores ecelesiasticos vox significat delictum, vide Forcellini s. v.

r e m a n s i o ad Q. fr. III. 1, 17 „primum tuam remansionem etiam atque etiam probo'; Lig. 4 bis; Ambr. psalm. 118 serm. 16, 43.

a s s e c t a t i o Q. Cic. pet. cons. 34 „et quoniam assectationis mentio facta est, id quoque curandum est"; Mur. 70; Plin. nat. II. 82; Gloss. II. 305 ,24.

e x h o r t a t i o [3]) Planc. epist. X. 7, 1 „iudicare omnia me rei publicae praestitisse, quae et tua exhortatione excepi et mea adfirmatione tibi recepi"; Quint. inst. I. 2, 25; Tac. hist. I. 36; alios scriptores vide Georg. s. v.

* e x p l o s i o, ἅπ. λεγ., Cael. epist. VIII. 11, 4 „multa transi, imprimis ludorum, explosiones et funerum et ineptiarum ceterarum".

i n s e c t a t i o plerumque translate,[4]) sic etiam primo loco Brut. epist. XI. 1, 2 „tanta est hominum insolentia et nostri insectatio"; cf. Liv. III. 65, 5; XXI. 47, 2; Plin. paneg. 28; Quint. inst. V. 7, 6; XI. 1, 86; Tac. ann. II. 55; XV. 18; Suet. Cal. 23; gramm. 19; proprie Liv. XXI. 47 ,2 et Curt. IV. 2, 20.

81; p a t r o c i n i u m Vat epist. V. 9, 1 „si tuam consuetudinem in patrociniis tuendis servas, P. Vatinius cliens advenit"; (cf. Schmalz, Ueber die Latinität des P. Vatinius in den bei Cicero ad fam. V.9 u. 10 erhaltenen Briefen 1881 p. 40 ,qui alia etiam exempla affert); c o l l e g i u m Cael. epist. VIII. 12, 1 (cf. ad hunc l. F. Becher, Ueber den Sprachgebrauch des Caelius, Progr. Nordhausen 188, p. 4); n u g a e m a x i m a e ad Qu. fr. X. 2, 4 „ego nugas maximas (Windbeutel) omni mea comitate complexus sum"; copiosius de hoc usu disputat Naegelsbach-Mueller l. c. § 15.

[1]) Cf. substantivum 'convictor' infra p. 18.

[2]) Frequentius adhibetur ‚adhortatio', cf. Thes. l. L. s. v.

[3]) Cf. Bergmueller l. c. p. 17.

[4]) Eodem modo in usu est verbum i n s e c t a n d i auct. ad Her. IV. 36; Cic. Att. X. 1, 4 „aut nos temeritatem bonorum sequamur aut audaciam improborum insectemur"; Brut. Cic. ad Brut. I. 4, 2; Lael. 57; nat. deor. I. 5; fin. II. 80; Plin. epist. I. 10, 7; Tac. ann. IV. 12.

interfectio[1]) Brut. Cic. ad Brut. II. 3 „quem sic vexari a Dolabella audio, ut iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonii"; cf. Cael. Aur. acut. I. pr. 4.

nomenclatio Q. Cic. pet. cons. 41 „ea (popularis ratio) desiderat nomenclationem"; Colum. III. 2, 31.

successio[2]) raro apud Ciceronem, saepissime apud posteros scriptores; primum Cael. epist. VIII. 1, 2 „adhuc mihi rettulit de successione provinciarum Galliarum"; VIII. 4, 4 bis; VIII. 5, 2; VIII. 9, 2; Brut. Cic. ad Brut. I. 17, 2; fin. I. 37; Plin. nat. VII. 58; XII. 54; Plin. epist. I. 12, 4; Tac. ann. IV. 12; Germ. 32; Suet. Tib. 15; 25; 55; Cal. 12; Otho 4; locis laudatis substantivum significat Nachfolge, at prosperum eventum Arnob. nat. II. 8 et Aug. beat. vit. 26, ubi locus ex Ciceronis Hortensio affertur.

verberatio primo loco translate Q. Cic. epist. XVI. 27, 1 „mirificam mihi verberationem cessationis epistula dedisti"; proprie demum Ulp. Dig. XLVII. 10, 5, 1; XLVIII. 19, 7.

2. Substantiva in-tor et-trix exeuntia.[3])

Haec substantiva, cum maximam partem a verbis re vera exstantibus ut substantiva in — io desinentia derivata sint, aliquotiens tamen ad horum analogiam a nominibus originem ducunt, ut olitor (olus, cf. Plaut. Trin. 408; Naev. com. 19; Varro ling. VI. 20; Cic. epist. XVI. 18, 2; Colum. XI. 1, 2; Plin. nat. XIX. 62) et vinitor (vinum, cf. Cic. fin. V. 40; Verg. ecl. 10, 36; Colum. IV. 24, 1). Verba novata autem, quae mihi ex epistulis memoranda sunt, omnia ad unum substantiva verbalia sunt. His terminationibus omnibus linguae Latinae temporibus nova substantiva sunt formata, sed a posteris scriptoribus omnium plurima, ut similis ratio sit in his substantivis atque in illis, quae in — io syllabam cadunt. Sed priusquam ad singula substantiva enumeranda transgredior, nonnulla de notione praemittenda mihi esse puto. Haec substantiva primum significant continuam atque consuetudine susceptam actionem,[4]) deinde hac significatione amissa habitum, quo homo unico etiam facto, ut ita dicam, indutus est. Sic saepissime fit, ut his substantivis vis reprehendendi subaudiatur, propterea quod is qui vituperat unum factum ad hominem describendum sufficere docere vult, ut Cic. Planc. 38 „cuius tu tribus venditorem et corruptorem et sequestrem Plancium fuisse clamitas"; Pis. 23 „id autem templum ... a coniuratorum reliquis atque a Catilinae praevaricatore quondam, tum ultore armis teneretur"; Att. II. 9, 1; Cael. epist. VIII. 11 praevaricator; Att. VIII. 3, 3 adiunctor[5]) — propagator;[6]) ad Q. fr. I. 9 expilator. Praeterea tales formationes, quod in iis vis adiectivi[7]) inest, cum particulis coniungi possunt. Sed quod ex conexu ipso optime cognoscis, quae vis in substantivo insit, iam vero medias in res ingredior.

---

[1]) De hoc substantivo, quod raro occurrit, disputat Schirmer l. c. p. 8.

[2]) Cf. Fr. Burg, De M. Caelii Rufi genere dicendi, diss. Lipsiae 1888 p. 43, et Schirmer, l. c. p. 8.

[3]) Ut substantiva in-io ita substantiva in-tor et-trix Paucker collegit in Melet. p. 52—65 et Beiträge p. 518—538; cf. etiam de toto genere Naegelsbach l. c. § 54; Stolz-Schmalz l. c. p. 433; Ploen, De copiae verborum differentiis inter varia poesis Romanae antiquioris genera intercedentibus (diss. Argent. 7. a. 188, 2) p. 42.

[4]) Quam ob rem Cicero subtiliter distinguit iter 'amator' et 'amans' Tusc. IV. 27.

[5]) Cf. infra p. 17.

[6]) Cf. infra p. 17.

[7]) Cf. Naegelsbach l. c. § 54, 4. Exempli causa profero 'cunctator' Cael. epist. VIII. 10, 3 „nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit, itemque Servius quam cunctator"; 'peregrinator' infra p. 18.

* a d i u n c t o r, ἅπ. λεγ., Att. VIII. 3, 3 „ille (Pompeius) legibus per vim contra auspicia ferendis auctor, ille Galliae alterioris adiunctor."

a d p r o b a t o r Att. XVI. 7, 2 „etsi, quam vis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, adprobator certe fuisti". Quam ad vocem fingendam sine dubio maximi momenti erant substantiva antecedentia 'suasor' et 'impulsor'. quorum hoc iam apud Terentium invenis; 'adprobator' redit Gell. V. 21, 6; Symm. epist. IV. 14; saepius apud script. eccles., vide Thes. l. L. s. v.

c o n s e s s o r Att. II. 15, 2 „praeclarum spectaculum mihi propono, modo te concessore spectare liceat"; posterius ut Liv. XXXIV. 54, 7; Mart. I. 26. 3. Locis laudatis consessor is est, qui in spectaculo cum aliquo consedit. Eodem autem anno, quo Cicero epistulam commodum memoratam scripsit. i. e. a. Chr. n. 59 orationem „pro Flacco". habuit, in qua eadem vox exstat, sed significat assessorem in iudicio (Flacc. 24); cf. etiam Phil. 5, 13; fin. II. 62; plura in Thes. l. L. s. v.

d e s i g n a t o r idem valet quod Graecum βραβευτής Att. IV. 3, 2 „desertus a suis vix iam Decimum designatorem, vix Gellium retinet"; Ulp. Dig. III. 2, 4, 1. Qui usus in Thes. l. L., ubi duo loci (Tert. ad. Val. 3 p. 180, 18 et Non. p. 11) afferuntur, omissus est.

i o c u l a t o r Att. IV. 16, 3 „huic (sermoni) ioculatorem senem illum, ut noras, interesse sane nolui"; Firm. math. VIII. 22.

p a c i f i c a t o r Att. I. 13, 2 „scito primum me non esse rogatum sententiam praepositumque esse nobis pacificatorem Allobrogum"; X. 1, 2; X. 15, 7; Liv. XXVII. 30, 4; Iust. XVIII. 2, 4.

p r o p a g a t o r Att. VIII. 3, 3 „ille (Pompeius) provinciae propagator"; omnino hic locus abundat substantivis in — tor desinentibus; auctor, adiunctor (cf. supra), adiutor, defensor. Vox 'propagator' redit Apul. mund. 37 et in inscriptionibus.

r a t i o c i n a t o r Att. I. 12, 2 „libertum ego habeo sane nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem et clientem tuum"; Colum. III. 3, 7; Dig. XIV. 4, 5, 16. Cicero vocem translate etiam adhibuit off. I. 59 „ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus"; cf. Aug. civ. XXI. 5.

* t r a d u c t o r, ἅπ. λεγ., Att. II. 9, 1 „hic noster Hierosolymarius traductor[1]) ad plebem". Hoc substantivum Cicero indignatione commotus ad Pompeium describendum finxit, quod hic Clodium ex patricio ordine in plebeium transtulerat; cf. quae dixi supra p. 16.

a d m o n i t o r epist. IX. 8, 1 „misi autem ad te quattuor admonitores non nimis verecundos"; top. 5; Ov. met. IV. 644; praeterea loci ex scriptoribus ecclesiasticis in Thes. l. L. s. v. afferuntur.

a m p l i f i c a t o r, apud Ciceronem translate tantum, epist. II. 9, 3 „te vero, mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meae"; X. 12, 5; Tusc. V. 10. Praeter Ciceronem in inscriptionibus tantummodo. ubi vox proprie exstat Corp. VI. 1142 „amplificator urbis Romae"; VIII. 1179.

c o n s o l a t o r epist. VI. 4, 3 „etsi me ipsum consulatorem tuum non tantum litterae... quantum longinquitas temporis mitigavit"; Tusc. III .73; Sen. dial .XI. 1, 4; XII. 5, 5; epist. 63, 13. Reliquum usum vide in Thes. l. L. s. v.

c o n s p o n s o r[2]) epist. VI. 18, 3 „Galba consponsor tuus"; Att. XII. 17; praeterea in gloss. Isid. et apud Paul. Diaconum.

i l l i c i t a t o r epist. VII. 2, 1 „nunc quoniam tuum pretium novi inlicitatorem potius ponam, quam illud minoris veneat"; off. III. 61. Accedit interpretatio huius verbi Paul. Fest. 113, 14 M. = 80, 37 Th. Quod substantivum a Cicerone, quamquam rarissime exstat, non esse formatum significatione eius declaratur.

---

[1]) Cf. Cic. Sest. 7 „fuerat ille annus iam in re publica, iudices, cum in magno motu et multorum timore intentus est arcus in me unum... re quidem vera in universam rem publicam. traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi, mihi irati, sed multo acrius otii et communis salutis inimici".

[2]) Verbum simplex 's p o n s o r' item apud Cicernoem primum invenitur Quinct. 73; prov. cons. 43; Phil. 6, 11; saepe in epist., ut Att. XV. 15, 2; XVI, 5, 2; XVI .15, 2; epist. VI. 18, 3.

l i t i g a t o r, substantivum tritum, quod e notione perspicitur, epist. XII .30, 1 „praeter litigatores nemo ad te meas litteras?"; Quint. inst. II. 21, 16; X. 1, 34; Tac. ann. XIII. 42.

p e r e g r i n a t o r epist. VI. 18, 5 „et mehercule non tam sum peregrinator iam, quam solebam"; Firm. math. VIII. 25.

s t a t o r, substantivum tritissimum, epist. II. 19, 2 „existimavi tamen faciendum esse, ut ad te statores meos et lictores cum litteris mitterem"; II. 17, 1; Planc. epist. X. 21, 2; Petron. 126, 5; Ulp. Dig. IV. 6, 10; saepe in inscriptionibus.

v i t u p e r a t o r epist. VII. 3, 6 „volui per litteras eadem, ut haberes, quid diceres, si quando in vituperatores meos incidisses"; nat. deor. I. 5; fin. I. 2; Tusc. II. 4; vox redit apud Augustinum.

c e s s a t o r ad Q. fr. III. 5 (6), 6 „de libris Tyrannio est cessator"; ib. 7; epist. IX. 17, 3; Hor. sat. II. 7, 100; Colum. XI. 1, 16; Mart. Cap. VII. 726; vide Thes. l. L. s. v.

c o r r u p t r i x [1]) ad Q. fr. I. 1, 19 „in tanto imperio, tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia divina videantur necesse est"; Tert. anim. 51. Substantivi more in usu est Amm. XXV. 3, 18; Aug. in psalm. 83, 5; Op. imperf. in Matth. 31 p. 795. Ex formationibus huius generis cf. a d i u t r i x Cato 83; s e r v a t r i x V. 26; c o n c i l i a t r i x Luc. VII. 271; c o m p o t r i x Sidon. epist. II. 9, 8; f a m u l a t r i x Sidon. carm. II. 128; a c c u s a t r i x et d i s c e p t a t r i x Aug. conf. VI. 2, 2.

h a b i t a t o r ad Q. fr. II. 3, 7 „tuam in Carinis mundi habitatores Lamiae conduxerunt"; Att. XV. 3, 1; nat. deor. II. 90; II. 140; saepissime apud scriptores posterioris aevi, ut Liv. XXI. 62, 3; Mart. IX. 51, 5; Iuv. 14, 312; Prud. psych. 745; Anth. 286, 104; 838, 1.

s t r u c t o r ad Q. fr. II. 5, 3 „res agebatur multis structoribus"; Att. XIV. 3, 1; de vario usu apud posteros vide Georg. s. v.

c i r c u l a t o r Poll. epist. X. 32, 3 „bestiis vero civis Romanos, in his circulatorem quendam auctionum . . . obieci". De reliquo usu et significatione huius substantivi conferas velim Thes. l. L. s. v.

c o n v i c t o r Cic. fil. epist. XVI. 21, 5 „utor familiaribus et cotidianis convictoribus"; Hor. sat. I. 4, 96; I. 6, 47; Ov. Pont. IV. 3, 15; Sen. epist. 7, 7; Suet. Tib. 56. Complures alii loci congesti sunt in Thes. l. L. s. v.

d e d u c t o r Q. Cic. pet. cons. 34 „huius autem rei tres partes sunt: una salutatorum,[2]) altera deductorum, tertia adsectatorum"; ib. 36; Plin. epist. IV. 17, 6; cf. Thes. l. L. s. v.

o p p r e s s o r, primo loco hoc substantivum in bonam partem adhibitum est Brut. Cic. ad Brut. I. 16, 6 „petitur, ut vindices atque oppressores dominationis salvi sint"; hoc loco excepto vocabulum in malam partem dictum est Ps. Aur. Vict. epit. 1, 31; Aug. civ. XVI. 4.

r e l a t o r [3]) Balb. Att. VIII. 15 a, 2 „incipiam sperare etiam consilio senatus auctore te, illo relatore Pompeium et Caesarem coniungi posse"; quo loco, ubi vox primum etiam exstat, singulari vi (Berichterstatter) praedita est; nam apud posteros scriptores, ut Sidon. epist. VII. 2, 2 „quae tamen ut gesta sunt si quispiam dignus relator evolveret, fierent iucunda memoratu", universe significat 'narrator'.

s a l u t a t o r Q. Cic. pet. cons. 34, cf. supra 'deductor'; ib. 35, 36; Colum. I. praef. 9; Mart. I. 70, 18 saepiusque; Stat. silv. II. 4, 29; Suet. Claud. 35.

s u s u r r a t o r Cael. epist. VIII. 1, 4 „quod ad Caesarem, crebri et non belli de eo rumores, sed susurratores dumtaxat veniunt". Vulgaris sermonis esse hoc substantivum inde apparet, quod praeter locum laudatum in Vulg. tantum invenitur, ut Sirach, 5, 17 et apud scriptores ecclesiasticos; cf. Roensch, Itala et Vulgata, Marburg 1875 [2] p. 59.

---

1) Multo saepius c o r r u p t o r nobis occurrit; cf. Thes. l. L. s. v. Forma prisca 'c o r r u m p t o r' iam Plaut. 240.

2) Cf. intra p. 2.

3) Cf. Hellmuth, Ueber die Sprache der Epistolographen Serv. Sulpicius Galba und L. Cornelius Balbus, Progr. Würzburg 1888 p. 51.

3. Substantiva in-o exeuntia.[1])

Ab usurpandis substantivis, quae cadunt in — o, Ciceronem paulo minus abhorruisse in epistularum genere haec docent haud multa quidem, ea tamen, quae quin ad singularem loquendi licentiam referenda sint nemo dubitat; nam inter omnes doctos constat haec substantiva sermonis esse plebei. Quam ob rem raro apud eos scriptores, qui urbano sermone utuntur, occurrunt, sed praecipue apud tales, qui sermocinandi consuetudinem in scriptis suis imitati sunt. Exempli causa affero: c o m b i b o Lucil. XXVI. 665; Cic. epist. IX. 25, 2; at in orationibus Phil. 2, 42; 5, 22 c o m p o t o r legitur; c o m e d o Lucil. II. 75; Varro Men. 317; n e b u l o Ter. Eun. 785; Cic. R. Am. 44; Hor. sat. I. 1, 104; I. 2, 12; epist. I. 2, 28; p o p i n o Lucil. et Varro Non. p. 161, 10 sqq.; Hor. sat. II. 7, 39. Ex Ciceronis epistulis substantiva huius generis memoranda sunt haec:

* s u c c o sive s u c o Att. VII. 13a, 1 „Oppios enim de Velia succones dicis". Hoc substantivum novatum redolet sucum (Saft) et sugere (saugen), ut optime transferri possit 'Menschenaussauger'. Ut autem ex l. c. apparet, non Cicero vocem formavit, sed Atticus, qui iocose ac contemptim in epistula aliqua, ut opinor, sic Oppios nominavit, quod ob pecuniam grandi fenore occupandam infames erant. Neque dubie Atticus significans nomen Oppiorum substantivum finxit, quoniam verbum Graecum ὀπός idem valet ac Latinum 'sucus', L. c. codices exhibent 'saccones', quod multi editores in textum receperunt, ut Mueller; nihilo setius mihi quidem maximam probilitatem habere videtur coniectura Bosili, qui 'succones' scripsit, quod Schmidt sumpsit; nam quod 'succo' et 'sacco' ἅπ. λεγ. sunt, facile, fieri potuit, ut 'succo', quod utrumque verbum inusitatum atque inauditum erat, vocabulo 'sacco' se suo loco moveretur. Quod vero ad vim utriusque nominis attinet, 'succo', ut ego quidem opinor, praeferendum esse videtur propterea, quod, si 'saccones' legimus, verborum lusus[2]) corrumpitur.

---

[1]) Cf. Landgraf, Bl. f. d. b. G.-W. p. 319; Lud. Stuenkal, De Varroniana verborum formatione, diss. Argentorati 1875 p. 20 sqq; W. Meyer, Das lateinische Suffix o, onis in Arch. f. lat. Lex. V (1888), p. 223—233; R. Fisch, Substantiva personalia auf o, onis, ibid. 56—88; idem, Die lateinischen nomina personalia auf o, onis, Berlin 1890.

[2]) Ciceronem verborum lusum valde, imprimis epistulis amavisse iam viri docti admonuerunt; universe de eo disputavit Woelfflin, Das Wortspiel im Latein, Sitzungsberichte der bayrischen Akademie der Wissenschaften, philol. — hist. Klasse 1887 p. 187 sqq. Verborum lusum, qui in Ciceronis orationibus invenitur, sibi proposuit Herwig, Das Wortspiel in Ciceros Reden, Progr. Attendorn 1889, atque in epistulis ad Atticum Meyer, Beiträge p. 20 sqq. Sed nihilo minus mea quidem sententia alienum non esse videtur hoc loco nonnullis exemplis hanc rem attingere. S a l i n a s ambigua potestate Cicero significatione appellans sales adhibet epist. VII. 32, 1 „omnia mihi periucunda fuerunt praeter illud, quod parum diligenter possessio salinarum mearum (witzige Einfälle) a te procuratore defenditur". Eodem modo usurpatur c o l e u s, quod hoc nomen origine coniunctum est cum substantivo 'culleus', epist. IX. 22, 4 „at honesti 'colei Lanuvini', 'Cliternini' non honesti"; cf. P. W. R. E. VIII. 1744 et Arch. f. lat. Lex. X. p. 531. A e r a t i — a e r a r i i Att. I. 16, 3 „tribuni non tam aerati quam ut appellantur aerarii"; de interpretatione cf. ad l. Hoffmann, Ausgewählte Briefe v. M. Tullius Cicero, Berlin 1892, 6 I. p. 34 et Vahlen, Varia Herm. XXVI. 2 (1891), p. 161 sqq. (O p s) o p i s - o p e s; Caesar Ciceroni Att. IX. 6 a scripserat haec: „in primis a te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem venturum, ut te ibi videam, ut tuo consilio. gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim"; idem Att. IX. 16, 3 verba facit talia: „Tu velim mihi ad urbem praesto sis, ut tuis consiliis atque opibus, ut consuevi, in omnibus rebus utar"; utroque igitur loco Caesar a Cicerone auxilium petit; sed quod numerus pluralis 'opes', quem Caesar propiore loco usus est, ut nostra lingua utar, Vermögen etiam significat, Cicero Caesarem rem familiarem a se petere interpretatur Att. IX. 16, 1 „ab eo

* t o c u l l i o (Zinsmacher), ἅπ. λεγ. Quod substantivum Cicero iocose suffixo Latino (cf. infra salaco) derivavit a deminutivo Graeco τοκύλλιον τόκος i. e. usura), quod apud scriptores Graecos invenire non potui. Att. II. 1, 12 „neque enim ista tua negotia provincialia esse putabam, neque te in tocullionibus habebam".

* s a l a c o. ἅπ. λεγ., ut tocullio a verbo Graeco σαλάκων ductus est epist. VII. 24, 2 „cognosti meam causam et istius salaconis iniquitatem".

4. Substantiva in-tas exeuntia.[1]

Hoc genus substantivorum derivatur a nominibus vel substantivis vel adiectivis, ita tamen, ut haec multo frequentiora inveniantur. Significationem illorum Corssen, Kritische Nachträge zur lat. Formenlehre, Leipzig 1866 p. 275, eandem esse docet, quam nos in iis compositis indicare solemus, quorum altera pars est - keit, - schaft, - wesen.

Ab adiectivis ducta sunt haec:

a g i l i t a s Att. I. 17, 4 „nam si ita statueris et irritabiles animos esse optimorum saepe hominum et eosdem placabiles et esse hanc agilitatem, ut ita dicam, molitiamque naturae plerumque bonitatis . . . . facile haec, quem ad modum spero, mitigabuntur". Quod hoc loco Cicero, id quod rarissime in epistulis invenitur, excusationem 'ut ita dicam' addit verbo 'agilitas' haud duble concludendum est hoc vocabulum inusitatum fuisse. In Thes. l. L. s. v. legimus: vox fortasse a Cic. (qui adiectivum non habet) ficta. Sed nihilo minus vocem sermoni plebeio attribuam, quod iam apud Liv. XXVI. 51, 6; XXXV. 26, 2; XXXVII. 30, 2; XLIV. 38, 8 apparet, qui vocabulum non ex epistulis sumere potuit, quoniam epistulae ad Atticum multo postea, ut in praefatio p. 7 adn. 4 diximus, editae sunt. De reliquo usu cf. Thes. l. L. s. v.

c u r i o s i t a s Att. II. 12, 2 „sum in curiositate ὀξύπεινος." Hoc subst. apud recentiores scriptores demum redit, ubi saepissime occurrt, ut Apul. met. I. 12; Macr. sat. I. 11,45; alios locos vide Thes. l. L. s. v.

* i n l i b e r a l i t a s Att. VIII. 6, 3 „maio Tironis verecundiam in culpa esse quam inliberalitatem Curii"; off. II. 64.

s e c u r i t a s proprie Att. IV. 18, 2 „miram securitatem videbis"; saepius in libris de philosophia scriptis (vide Merguet s. v.); Liv. XXXVI. 41, 1; Tac. ann. III. 44; post Ciceronem autem vox diversas sententias sumpsit. Primum in malam partem accipitur, ut neglegentiam significet,

(Caesare) mihi litterae redditae sunt a. d. VII Kal., quibus iam 'opes meas', non, ut superioribus litteris, 'opem' exspectat;" cf. etiam Att. XIV. 18, 1. Omnium autem frequentissimi sunt verborum lusus, qui originem ducunt ex nominibus propriis; de Attico et Sestio cf. supra p. 6 et ib. adn. 5 Praeterea affero haec: B r u t u s - b r u t u s Att. XIV. 14, 2 „illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse tu testis es. Quid ergo? ista culpa Brutorum? Minime illorum quidem, des aliorum brutorum, qui se cautos ac sapientes putant"; cf. etiam Att. VI. 1, 25 „in his inventae sunt quinque imagunculae matronarum, in quibus una sororis amici tui, hominis 'bruti', qui hoc utatur, et illius 'lepidi', qui haec tam neglegenter ferat"; P o l l e x - p o l l e x Att. XIII. 46, 1 „Pollex quidem . . . . mihi Lanuvii pridie Idus praesto fuit, sed plane pollex, non index"; L e n t u l u s - l e n s Graece φακή Att. I. 19. 2 „legati sunt Q. Metellus Creticus et L. Flaccus et τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον, Lentulus, Clodiani filius". P a t r o - b a r o Att. V. 11. 6 „apud Patronem et reliquos barones te in maxima gratia posui": T r e v i r i (incolae Augustae Trevirorum) — t r e s v i r i c a p i t a l e s epist. VII. 13, 2 „Treviros vites censeo; audio capitales esse; mallem aere, auro, argento essent".

[1]) Haec substantiva congessit Paucker, Die Substantiva auf - tas, Z. f. vgl. Sprachf. XXIII (1877), p 133—169 et Beiträge p. 538—545; cf. etiam Stolz, Hist. Gramm. I. 2, p. 553 sqq; Stolz - Schmalz, Lat. Gramm. p. 431.

sic imprimis Quint. inst. II. 2, 6; IV. 1, 55. Porro securitas est idem atque periculo liberum esse; cf. Plin. nat. VII. 171; Plin. epist. X. 111 (112). Denique singulari vi vox praedita est apud iuris consultos, cf. Georg. s. v.

c r u d i t a s epist. IX. 18, 4 „satius est hic cruditate quam istic fame"; XV. 17, 2; rat. 54; Cato 44; fin. II. 23; Varro rust. III. 10, 5; Sen. dial. I. 3, 2; Plin. nat. XVII. 219; XXIV. 15; Quint. inst. V. 9, 11; VII. 2, 13; VII. 3, 33; translate subst. dictum est de herbis Colum. I. praef. 16; cf. Thes. l. L. s. v.

* n a v i t a s epist. X. 25, 1 „operam tuam, navitatem, animum in rem p. celeritati praeturae anteponendam censeo"; Arnob. nat. I. 2 lectio incerta est; quam ob rem Reifferscheid (Corp. script. eccles. Lat. vol. IV.) 'nativitas' scribit.

p e r e g r i n i t a s, quod subst. proprie apud Suet. et iuris consultos legitur, apud Cic., ubi primum exstat, translate posita est epist. IX. 15, 2 „mirifice capior facetiis maxime nostratibus, praesertim cum eas videam primum oblitas Latio tum, cum in urbem nostram est infusa peregrinitas"; aliam notionem invenis Quint. inst. XI. 3, 30.

p e r v e r s i t a s ad Q. fr. I. 1, 38 „cum te alicuius improbitas perversitasque commoverit"; II. 4, 1; epist. I. 7, 7; XIII. 1, 4; orat. 31; Tusc. III. 2; off. I. 145; fin. II. 80; Cato 4; Suet. Aug. 62.

c r e d u l i t a s [1]) Planc. epist. X. 21, 1 „illud certe cavi et cavebo, ne mea credulitate rei p. summa fallatur"; saepius apud Ov., ut am. III. 14, 30; met. XV. 496; Pont. I. 1, 44, et alios; cf. Thes. l. L. s. v.

e f f i c a c i t a s Q. Cic. pet. cons. 10 „qui (M. Marius) tantum habet audaciae, tantum nequitiae, tantum denique in libidine artis et efficacitatis"; Tusc. IV. 31.

A nominibus propriis derivata exstant duo nomina, quae omnium liberrime profluunt ex effrenata petulantia:

* A p p i e t a s et * L e n t u l i t a s, ἅπ. λεγ., epist. III. 7, 5 „ullam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus quam ornamenta virtutis existimas".

5. Substantiva in-tus vel-sus exeuntia.

Substantiva huius generis, quae nunc tractanda sunt, poetae scaenici et epici praeferebant nominibus terminantibus in - io, quae in soluta oratione et cotidiano sermone frequentiora[2]) sunt; sed soluta etiam oratio aetate, quae dicitur aurea, iam magnum numerum[3]) talium substantivorum exhibet; hic autem paulatim discrimen inter substantiva in - tus et - io exeuntia sublatum[4]) est, ut apud Ciceronem etiam ipsum nonnulla huius generis nomina, quae primum apud eum inveniuntur, enumerare possim.

